

ejus vero propensiones hoc remedio avertendo, judicationes valde salutares inhibere, vel & humorem ad interiora & multo molliora loca transferendo, morbos longe pejores reddere, adeoque aegrotantibus noxam pro utilitate adducere, morbos frustra prolongando, vel et praematuram mortem miserimis inferendo.

§. 11. Quocunque enim modo hoc remedio aliquis utitur, numquam utilitatem in istis morbis adfert; si enim hoc liberalius bis aut ter adhibeat, collapsum omnium vasorum inanem efficiet, atque cursum fluidorum retardabit, etiam omnia mala quae ab incoctione, & omnia quae a retardato motu proveniant adducet. Si hoc iterum parce & semel vel modice utetur, cursum eorum accelerabit, atque concitabit, febrem plus augens quam antea fuerat, atque morbum exacerbans; utroque igitur modo parem noxam infert, prout antea clare dixi, quamvis contrarium, eadem haec efficit, si quis ferro in augmento morbi, vel in vigore venam secet; quae non solum in iis morbis, in quibus hoc remedium valde incommodum est, sed in iis etiam